

tale prolapsis præparata, can. *Secunda post naufragium, de Pœnit.*, dist. 1. juncto concilio Trident. loc. cit., can. 2.

148. *Sacramentum baptismi cur sit irreiterabile, et sacramentum penitentiae iterabile?* — Cur autem sacramentum baptismi sit irreiterabile, non autem sacramentum penitentiae, utpote mediante quo lapsus post baptismum « potest semper reparari, » ut loquitur citatum generale concilium: ratio primaria est ipsamet institutio divina, cujus non est aliqua causa prior, nisi voluntas Dei, volentis ut illud sacramentum sit irreiterabile, imprimatque animæ suscipientis characterem semper indelebilem; non istud. Congruentia tamen hujus institutionis divinæ sunt plures. Prima desumitur ex morbo, contra quem quodlibet istorum sacramentorum principaliter a Christo fuit institutum: nam baptismus est remedium principaliter institutum contra peccatum originale, quod non potest iterari; sacramentum penitentiae econtra est remedium contra peccata actualia post baptismum commissa, quæ iterari possunt, ac non raro iterantur. Altera congruentia desumitur ex fine principali utriusque sacramenti: nam baptismus habet plenam remissionem pœnæ, et culpæ: si autem homo posset habere frequenter tale remedium, et quidem adeo facile, ac præbens plenam remissionem utriusque, inde potius oriretur magnum incentivum delinquendi. Secus est in sacramento penitentiae, utpote quod non recipitur sine magna pœna solvenda pro peccato, simulque ratione necessariæ omnium peccatorum mortalium confessionis, non modicam habet annexam difficultatem. Tertio sacramentum baptismi est principium, et janua, per quam intratur in legem christianam, et adscribitur quis familiæ Christi, fitque membrum ejus, et Ecclesiæ militantis: ac proinde rationabiliter ordinatum fuit a Christo, quod veluti principium, ac janua vitæ christianæ, iterari non possit. Secus est in sacramento penitentiae, utpote quo jam ingressi Ecclesiam, duntaxat reparantur, et Christo capiti post lapsum ex fragilitate humana quandoque sæpius accidentem, denuo reconciliantur. Scotus in 4, dist. 6, q. 7, § *Deo ergo*, et alii.

149. *Triplex status hominum in ecclesia, virginum, continentium et conjugatorum.* — « Non solum autem virgines, et continentes, verum etiam conjugati, per fidem rectam, et operationem placentes Deo ad æternam merentur

beatitudinem pervenire. » Triplex siquidem est status hominum in Ecclesia Christi, nempe virginum, continentium, seu viduarum, et conjugatorum: et in quolibet eorum rite custodito, declinando videlicet a malo, et faciendo bonum, salus potest æterna promereri.

150. *Status tamen virginalis antecellit cæteris, eique attribuitur fructus sanctissimus.* — Certum nihil minus est, statum virginalem longe cæteris antecellere, prout ostendit sanctus Paulus 1. *Corinth.* vii, 40. estque concursus doctrinæ SS. Patrum, ac novissime definitum in concilio Tridentino, Sess. 24. can. 10. illis verbis. « Si quis dixerit, statum conjugalem anteponendum esse statui virginitatis, vel cœlibatus; et non esse melius ac beatius manere in virginitate, aut cœlibatu, quam jungi matrimonio, anathema sit. » Hinc sanctus Hieronymus lib. I. *contra Jovinianum*, et sanctus Augustinus lib. I. de *S. Virginitate*, cap. XLIV et XLV. ac sanctus Cyprianus de *Habitu virg.* exponentes parabolam illam Matth. cap. XIII, 31 et seqq. propositam de semine in terram bonam cadente, et diversimode fructificante: fructum centesimum attribuunt virginibus, sexagesimum viduis, et tricesimum honestis piisque conjugibus.

§ VIII.

DE OBLIGATIONE EMITTENDI PROFESSIONEM FIDEI.

151. *Assensus fidei, ejusque confessio et professio differunt. De quâ professione fidei hic agatur?* — Præmittendum breviter est quod assensus, sive actus Fidei corde fiat, confessio autem fidei præstetur ore, juxta illud Apostoli, *Rom.* cap. x, 10. *Corde enim creditur ad justitiam, ore autem confessio fit ad salutem.* Sicut autem exterior confessio Fidei fit verbis, ita ejus confessio fit factis, sive rebus externis, v. g. vestibus, in signum ejus assumptis. Nobis impræsentiarum præcipue sermo est de solemnibus illa professione fidei, quæ sub certa verborum formula ex præscripto sacrorum canonum, et constitutionum apostolicarum, a certis personis præstanda est: nam qua ratione, quibusque temporibus omnes fideles jure divino obligentur ad elicendum actum internum fidei divinæ, imo et ad externam ejusdem confessionem, fusius examinant theologo: atque egometipse declaravi Tract. IV. *Theologiæ morales*, Distinct. II, quæst. 3. et 4. Quantum igitur ad propositum nostrum.

152. *Jure Ecclesiastico obligantur ad emittendam fidei professionem baptizandi.* — Quæritur I. Quinam Jure Ecclesiastico obligentur ad emittendam fidei professionem? Resp. Ad publicam fidei professionem faciendam jure ecclesiastico tenentur plures; atque imprimis baptizandi, arg. can. *Prima igitur.* 73., de *Consec.*, dist. 4. Quod si illi credere, aut loqui non valeant, ut parvuli, amentes, vel muti, eorum vice alius profiteatur, nempe patrinus can. *Parvula* alio., de *Consec.*, ead. dist. 4. Fitque talis professio fidei per congruentes responsiones a baptizando, vel ejus nomine a patrinio. factas ad interrogationes baptizantis, prout habetur cit. can. *Prima igitur*, de *Consecr.* dist. 4. ac in Rituali Romano Pauli V,

153. *Ac hæretici ad unitatem Ecclesiæ redeuntes.* — Deinde hæretici, qui ad veritatem fidei catholicæ, et unitatem sanctæ matris Ecclesiæ sponte redire voluerint, tenentur prius arbitrio episcopi publice suam hæresim abjurare, c. *Ad abolendam.* 9. de *Hæretic.* Idque rectissime fit emittendo professionem fidei catholicæ juxta formam de facto in Ecclesia usitatam, et a Pio IV. in Bulla, *Injunctum Nobis*, (et habetur tum in Ritualibus diœcesanis novis, tum tom. II. *Bullarum Romanarum*, constit. 89. dicti pontificis) præscriptam, ut una eademque unius fidei professio uniformiter ab omnibus exhibeatur. Quinimo antiquitus ab hæresi redeuntes ad Ecclesiam catholicam, atque apostolicam, tenebantur professionem fidei etiam per scriptum, atque oblatum libellum exhibere, can. *Si qui voluerint*, et can. *Maximum*, et seqq. 1. q. 7.

154. *Et sacris ordinibus initiandi.* — Tertio, professio fidei catholicæ, simul et specialis promissio de eadem usque in finem sincera cordis devotione, ac constantissime retinenda debet emitti ab illis, qui sacris ordinibus sunt initiandi, ut can. *Quamquam*, dist. 23.

155. *Et cur non superfluat specialis promissio de fide usque in finem constanter retinenda.* — Neque superfluit dicta specialis promissio, ex eo, quod aliunde jam sive de jure divino, teneantur ordinandi ad constantem, sinceramque fidei catholicæ custodiam, et confessionem. Nam, ut recte notatur cit. can. *Quamquam*, plus solet timeri, quod singulariter pollicetur, quam quod generali sensione concluditur. Accedit, quod formula professionis Fidei, præsertim, nunc usitata in Ecclesia, circa finem contineat superadditam religionem juramenti, ut liquet ex illis

verbis: « Ego idem N. spondeo, voveo, jurat sic me Deus adjuvet, et hæc sancta Dei Evangelia. »

156. *Rursus professionem fidei facere tenentur promoti ad episcopatum.* — Quarto professionem fidei catholicæ tenentur facere promoti ad episcopatum, can. *Qui episcopus.* dist. 23. juncto can. *Optatum*, dist. 100. Et amplius habetur in concilio Tridentino, sess. 24. cap. 1. de *Reformat.* atque in constit. 6. Gregorii XIV, quæ incipit, *Onus apostolicæ*, edita 1594. idib. maii. Forma autem hujus professionis fidei, ac juramenti traditur in Pontificali Romano, jussu Clementis VIII. edito.

157. *Ac promoti ad canonicatus, vel dignitates cathedralium Ecclesiarum, vel ad quæcumque beneficia curam animarum habentia. Refertur circa hoc decretum concilii Tridentini: Ibid.* — Quinto eandem fidei orthodoxæ professionem tenentur publice emittere, atque in Romanæ Ecclesiæ obedientia se permansuros spondere ac jurare, promoti ad canonicatus, et dignitates cathedralium ecclesiarum, vel ad quæcumque beneficia ecclesiastica curam animarum habentia: idque ex nova dispositione concilii Tridentini cit. sess. 24. cap. 12. de *Reform.* Circa quam, cum nonnullæ speciales occurrant difficultates in progressu examinandæ, operæ pretium erit, verba ejusdem concilii huc adducere, et sunt sequentia: « Provisi etiam de beneficiis quibuscumque curam animarum habentibus, teneantur a die adeptæ possessionis, ad minus intra duos menses in manibus ipsius episcopi, vel eo impedito, coram generali ejus vicario, seu officiali orthodoxæ suæ fidei publicam facere professionem, et in Romanæ Ecclesiæ obedientia se permansuros spondeant, ac jurent. Provisi autem de canonicatibus, et dignitatibus, in Ecclesiis cathedralibus, non solum coram episcopo, seu ejus officiali, sed etiam in capitulo idem facere teneantur: alioquin prædicti omnes provisi, ut supra, fructus non faciant suos, nec illis possessio suffragetur. » Hactenus concilium.

158. *Etiam si professionem fidei in adeptione alterius beneficii jam emisissent.* — Et hoc ampliatur ad eos, qui in adeptione alterius beneficii professionem fidei jam antea emisissent: nam si postmodum de alio beneficio curato, vel canonicatu, aut dignitate in ecclesia cathedrali provisi fuerint, tenentur eam rursus facere. Et ita declarasse sacramentum congregationem, refert Nicol. Garcias part.

II. de Benefic. cap. 6. num. 17 et 18. ac tenent Bonacina in 1. *Præcept. Eccles.*, disp. 3. q. 2. punct. 4. § 1. n. 8. Ascan. Tamburinus tom. III. de *Jure abbat.*, disp. 8. q. 3. n. 8. Azorius part. II. lib. 7. cap. 2. q. 8. et alii. Siquidem concilium Trident. simpliciter jubet, ut provisos de ejusmodi beneficio intra bimestre a die adeptæ possessionis, faciat professionem fidei; neque distinguit, an hæc antea fuerit facta; ergo neque nos distinguere debemus, c. *Quia circa*, 22. de *Privileg.* et 1. de *pretio*, ff. de *Publiciana in rem action.*

159. *Aut eam fecissent in hoc ipso beneficio, quod postea dimiserunt, ac denuo acquisierunt.* — Quinimo hæc ratio tam fortiter stringit, ut Barbosa part. III. de *offic. et potest. episc.*, allegat. 61. n. 9, censeat, atque probabilius existimet Castro Palao tract. IV. de *Fide*, disput. 1. punct. 49 n. 7, etiam ab eo emittendam esse professionem fidei, qui denuo adipiscitur ecclesiam parochialem, dignitatem, vel canonicatum cathedralium, quam antea habuerat, ac dimiserat, haud obstante priori professione fidei. Siquidem talis iterum, atque absolute providetur de ejusmodi beneficio, ac proin post adeptam ejus possessionem intra bimestre rursus fidei professionem emittere tenetur: cum ipsam concilium omnibus post adeptam talium beneficiorum possessionem indistincte præcipiat. (ADNOTATIO XI.)

160. *Item provisi de monasteriis, conventibus. etc. Regularium ordinum.* — Sexto ex speciali constitutione Pii IV. 9. decembris 1564. emanata quæ incipit: *Injunctum.* (ac refertur tom. II. *Bullarii Romani*, constit. 89. d. *Pontif.* traditque formam professionis fidei, ab omnibus uniformiter observandam) dictum decretum concilii Tridentini amplius extenditur, ac vi ipsius professionem fidei tenentur etiam facere omnes illi, quibus de monasteriis, conventibus, domibus, et aliis quibuscumque locis regularium quorumcumque ordinum, etiam militarium, quocumque nomine, vel titulo providebitur.

161. *Et an hoc sit usu receptum?* — Notat tamen Hieronymus a Sorbo in *compend. privilegiorum mendic.* §. *Professio fidei*, notab. 4. istud decretum non esse in usu, ac sic illust. cardinales, aliosque viros doctissimos consuluisse. Et quamvis aliqui reclamant, vel istum non usum improbant, uti videre est apud Barbosam cit. allegat. 61. n. 7. nihilominus dicendum est, in iis religionibus, in quibus viget contraria consuetudo, non teneri præ-

latos illius ad emittendam fidei professionem et hoc per generalia juris principia, quod in ipsis vel decretum Pii IV. numquam fuerit receptum. (ADNOTATIO XII.) vel contraria consuetudine denuo abrogatam, Sanchez lib. II. in *Decalog.*, cap. v. n. 3.

162. *Sicut et doctores, magistri regentes universitatum, vel gymnasiorum, ac scholares ad gradum promovendi.* — Septimo ex motu proprio, Pii IV. 1564. Idibus novembris emanato, qui incipit, *Ir. sacrosanta* (habeturque tom. 2. *Bullarii Romani*, constit. 88. dicti pontificis, quamvis multi auctores hanc bullam attribuant Pio V. sed erronee, ut liquet ex Data) tenentur etiam professionem fidei orthodoxæ palam, ac solemniter, juxta formam ibidem præscriptam, facere omnes doctores, magistri, regentes, et alii cujuscumque artis et facultatis professores, sive clerici, sive laici, ac sæculares, vel cujuscumque ordinis regulares sint, qui in publicis universitatibus, vel gymnasiis, aut alibi docere, seu lectiones aliquas habere; sicut et scholares, qui ibidem ad aliquem gradum promoveri voluerint. Idque sub pœnis gravissimis, in citata bulla contentis, saluberrime statutum fuit, ne simplicia quorundam adolescentium res novas audire cupientium, ingenia in naufragos blandientium hæresum scopulos imprudenter impingant: quin potius fidei puritas, veluti scientiarum, et doctrinarum quarumcumque basis necessaria; timorque Domini, qui est initium sapientiæ, in cordibus eorum sollicitius foveatur, ac fortius custodiatur. Num autem dicta constitutio, quæ etiam ad docentes grammaticam, arithmeticam, et aliorum artium liberalium rudimenta sese extendit, juxta quamdam cardinalium declarationem, quam refert Sorbus, loc. cit. not. 4. ubique sit usu recepta, et non potius alicubi contraria consuetudine sublata, consulatur particularis ejuslibet loci praxis, et consuetudo hactenus observata.

163. *Nan tamen tenentur emittere professionem fidei, qui promoti sunt ad canonicatus, vel dignitates ecclesiarum collegiatarum, aut ad beneficia non curata.* — Quæritur II. Utrum omnes prorsus promoti ad beneficia ecclesiastica teneantur emittere professionem fidei? Resp. negative. Nam imprimis ad eam faciendam, spectato rigore juris communis, sive concilii Tridentini, non tenentur promoti ad canonicatus, et dignitates ecclesiarum collegiatarum, multo minus possidentes beneficia inferiora non curata. Siquidem

concilium Tridentinum, n. 157. relatum, sicut et bulla Pii IV. quæ incipit, *Injunctum*, loquitur dumtaxat de canonicatibus, et dignitatibus, in ecclesiis cathedralibus, ac de quibusvis beneficiis ecclesiasticis curam animarum habentibus: et consequenter dispositio ejusdem non est extendenda ad canonicatus ecclesiarum non cathedralium, sive collegiatarum dumtaxat, neque ad harum dignitates, dummodo his cura animarum non sit annexa: ne adjecta limitatio illa, « in ecclesiis cathedralibus, » careat effectu, et frustra membranas occupet. Barbosa, lib. III. de *offic. et potest. episc.*, allegat. 61. num. 15. Nicol. Garcias part. III. de *Benef.*, cap. III. n. 11. ubi addit, ita censuisse sac. congregationem, die 12. feb. 1588. Sanchez cit., cap. v. n. 1. Bonacina in 1. *præcept. Eccles.*, disp. 3. q. 2. punct. 4. § 1. n. 9. Trullench, et alii, contra Zerolam in *Praxi Episc.*, p. I. § *Beneficia*. § *Ad quintum*. § *Dico 4.* et Ugolinum de *offic. et potest. episc.*, cap. I. § 46. n. 3. oppositum tenentes; quibus accedit praxis quorundam conciliorum diœcesanorum, ut Antuerpiensis, 1609. tit. I. can. 14. et Mechlin. 1609. tit. I. c. 4. exigentium professionem fidei etiam a canonicis ecclesiarum collegiatarum, quin et a quibusvis beneficiariis, ut refert Zypæus in *Consultat.*, canon. h. t.

164. *Solvuntur instantiæ.* — Nec urgent rationes in oppositum afferri solitæ, et partim desumptæ quasi ex identitate rationis: partim ex concilio Tridentino, sess. 25. de *Reform.*, cap. II § *Ceteri vero*, præcipiente, quod omnes beneficia ecclesiastica habentes, et qui in synodo diœcesana convenire debent, hæreses universas publice detestari, atque anathematizare teneantur. Nam concilium Tridentinum, loc. cit. nequiquam loquitur de professione fidei in assecutione beneficii faciendâ, sed de ipsa præstanda in prima synodo, quæ post finem concilii ejusdem habebitur, et quidem ab omnibus, qui eidem synodo interesse debent. Deinde magnam esse disparitatem inter canonicos ecclesiæ cathedralis, et alios beneficiarios, vel maxime liquet præminentia, atque excellentia dictorum canonicorum cathedralium, in quibus proinde, sicut et in beneficiariis curam animarum habentibus, lapsus, vel suspicio hæresis foret longe periculosior, ac fidelium communitati perniciosior.

165. *Solvuntur instantiæ.* — Quod attinet ad praxim quorundam conciliorum provincialium, recte equidem ob majus fidei præ-

sidium, ab ipsis decretum fuit, ut professio fidei a quibusvis clericis suis beneficiariis præstari debeat: inde tamen non sequitur, hanc jure communi sive vi concilii Tridentini, ipsis omnibus esse injunctam. Quinimo, cum decretum Tridentinum sit inductivum novi juris, simulque pœnale, prout liquet ex adjecta pœna privationis fructuum, ultra personas in eo expressas extendi non debet; nam pœnæ sunt restringendæ, c. *Odia: de Reg. juris*, in 6. et juriam correctio, quantum fieri potest, est evitanda c. *Cum expediat.*, de *Elect.*, in 6. ac proinde non censetur plus de lege mutatum, quam est expressum. I. *Præceptum*. c. de *Appellation.*

166. *Nec eam facere tenentur coadjutores canonicorum cathedralium, portionarii, vicarii temporales, etc.* — Insuper his ipsis de causis etiam coadjutores canonicorum, seu dignitatum cathedralium, non tenentur emittere professionem fidei: quia coadjutor durante coadjutoria nondum est canonicus, cum nec sit in possessione canonicatus, sed coadjutorie solum. Barbosa, cit. allegat. 61. n. 13. et cap. XVII. de *Canonicis*, num. 12. post Trullench. in *Exposit. Decalogi*. lib. I. cap. I. dub. 8. n. 1. et Nicol. Garciam de *Beneficiis*. part. IV. cap. v. n. 76. et alios. Idem dicendum de portionariis, et aliis provisos de capellaniis in ecclesiis cathedralibus. Barbosa, lib. I. *Juris eccles. univ.*, cap. XXI. num. 64. Sanchez, lib. II. in *Decalog.*, cap. V. n. 1. Garcias, et alii. Item de illis, qui de beneficio curam animarum habente non providentur; ut vicarii temporales, ac hujusmodi. Ratio generalis est, quia hi omnes non comprehenduntur sub illis personis, quas concilium Tridentinum obligavit ad professionem fidei; ut patet ex verbis ejusdem, n. 157. relatis, quæ proinde veluti pœnalia, et novi juris inductiva, ultra personas expressas extendi non debent.

167. *Provisi de canonicatibus, et dignitatibus cathedralibus, coram quibus professionem fidei facere teneantur?* — Quæritur III. Coram quibus provisi de canonicatibus, vel dignitatibus cathedralibus, aut beneficiis curam animarum annexam habentibus, teneantur emittere professionem fidei? Resp. I. loquendo de prioribus, patet ex verbis concilii Tridentini, n. 157. jam allegatis, quod provisi de canonicatibus, aut dignitatibus in ecclesiis cathedralibus, teneantur publicam fidei suæ professionem facere, non solum coram episcopo, seu ejus officiali, sed etiam